

ante intuitum meriti et demeriti gratia sua praeterit. Vnde illi non possunt non in peccatum prolabi. Praeterea res omnes bonas malasque a DEO praedeterminari dicunt. Praedeterminare autem rem est causam rei particularem seu specificam esse. Probant

I. *Ab excoecatione et induratione DEI.*

*Resp.*

1) Quando dicitur, *indurabo cor Pharaonis*, non est vertendum, *ich will es verhärten*, sondern *ich werde es verhärten*, quemadmodum pater de filio degenerare diceret, *ich will ihm zwar noch dieses, das oder jenes schicken*, aber *ich werde ihm nur dadurch zum liederlichen Leben noch mehr Gelegenheit geben.*

2) Verba actiua apud hebraeos non semper *actionem*, sed *permissionem* significant, vt Exod. I, 22. *viuificarunt*, i. e. *viuere permiserunt*. Ita excoecat DEVS, i. e. ex iusto iudicio excoecari permittit eos, qui peccata peccatis cumulant, et DEVM toties ad poenitentiam vocantem repellunt.

II. *A iussu peccati*, quod DEO tribuitur, 2. Sam. XVI, 10.

*Resp.*

In Ebraeo non *iussit*, sed *dixit* reperitur. Dicere autem dicitur DEVS, cum ex iusto iudicio permittit, permittit vero, non vt maledictio *morabiter mala* est, sed in quantum *malum poenae* Dauidi infligendum erat.